

dum, nondum definimus. Alii articulum hunc tollunt; quod improbamus. Alii limbum quendam comminiscuntur, quod damnamus. Alii cum statu exaltationis confundunt; quod miramur. Alii sepulturam intelligunt; quod nondum recipimus. Alii omnis passionis ἀνακεφαλαιώσι γε statutū; quod non videtur convenire cum epitome. Alii ad sensum iræ divinæ referunt; quod non displicet. Alii de triduano & ignominioso mortis dominio accipiunt, quod valdè probabile. Alii denique realem animæ in cruce à corpore separatæ descensum volunt, quod verisimile.

73 *Exaltationis* gradus sunt, Resurrectio, ascensio, sessio ad dextram patris.

74 *Resurrectio* est, quâ morte subactâ seipsum ad vitam æternam divinâ potentiam suscitavit.

75 *Ascensio* est, quâ eadem potentia verè & visibiliter corpus suum in cœlum beatorum transtulit.

76 *Sessio* ad dextram Dei patris est, quâ plenitudinem tum potestatis tum gloriae nactus est, & utramq; plenissimè in illustri suo *ad judicium adventu ostendet*.

77 Restat tertium opus Dei quod nobis in Symbolo describitur: nimirum Sanctificatio.